



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

V. Qvomodo Nvncios præmiserit ad Holostam ciuitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

testo reciperet, simili sententiæ subiaceret. Et hæc agentes multis opprobrijs & verborum iniurijs religionē Christianorum deridebant blasphemantes.

## QVOMODO NVNCIOS

*pramiserit ad HOLOGOSTAM ciuitatem.*

V.



NTEREA vero apud VNZNOIMIAM, rebus feliciter consumatis, solutoque cœtu primatum, Dux cum Episcopo remanens, de his quæ post agenda videbantur, & de progressionē, vel quo nam diuerterent, consilium habuit, multaque deuotione studijs Episcopi gratias agens, Ecce, inquit, terra omnis coram te est, securus esto, domine pater, non est qui tibi contradicat, maioribus nam ac principibus omnibus iam fide imbutis. Qua securitate fretus antistes, quasi exemplo domini Iesu Christi binos & binos de discipulis suis præmittebat ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Contigit ergo VDALRICVM & ALBINVM duos presbyteros simul pergentes, HOLOGOSTAM intrare, vbi à matrona quadā, vxore videlicet præfecti sunt hospicio suscepti, atque satis humanè tractati. Nam hæc quamuis pagana, multum hospitalitati dedita fuit, ac timori diuino, & religiosa valde, adeo vt esset eis \* animationi. Post refectionem vero ALBINVS, linguæ gnarus matronæ adhuc ignoranti rem omnem secreto aperit, scilicet qui nam essent & quare aduenissent. At illa vehementer attonita, Me miseram, inquit, o domini mei, quare ad me intraistis, de vobis enim iam apud magistratus data sententia est, & de me quoque, si vos non prodidero, Sed diuina Clementia seruos suos

vbiq;

Admirationi.

vbique tueri nouit. Nam matrona illa, diuinitus, ut puto, commonita in superiori quodam cernaculo eos abscondit, quasi Raab Iherichontina, ne perderentur, effecit equituras & rem illorum & sarcinas, & quaecunque habere poterant, illa per pueros suos subito extra ciuitatem deduci & in praesidio suo collocari fecit. Quibus deductis, ecce gladiatores, & turba populi cum telis & fustibus detecta matronae irrumpunt, cum tumultu & clamore magno, illos ignotos homines sibi exhiberi iubentes. At illa, Fateor, inquit, homines ignoti ac peregrini, ut saepe solent ad me declinauerant. Sed accepto prandio mox in viam suam abierunt. At illi scrutantes omnia cum nec iumenta nec vestes nec vlla signa itinerantium inuenissent, furere desierunt. Porro illis per triduum ibi latitantibus, Episcopus cum Duce ab VNZNOMIA profectus multa manu militum & sociorum HOLOGOSTAM intrauit, spem salutis & praesidium portans Apostolis in conclauis latitantibus.

QUOMODO HOLOGOSTAM  
intrauerit & predicauerit.



TAQVE urbem ingressus, Duce fideliter ac strenue ad omnia cooperante, semen sparsit Euangelij, & dura incredulorum corda placida praedicationis ingenio paulatim detumescere faciebat. Interea quidam de Christianorum socijs VDALRICVM & ALBINVM de latibulis suis emergentes & iunctos consocijs timorem suum referentes, deriserunt, & quasi eis insultantes, securius sese habere coeperunt, & longius a suis digressi, sana etiam idolorum, Episcopo sermonem exhortationis proferente, speculatum vagabantur. Verum quia maligni homines, apud quos radix paganismi

VI.

Hhh 3

adhuc